Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 983
Quelle:
Copyright:

jus. Mox a principio inter verba: *pervenire ad cognitionem Dei*, et: *Quanto namque in cognitione mei proficio* &c. locum 10. linear. interserit: *Heu adherendo sic ueritati per cognicionem sed ab illa defluendo per amorem — tradidit illos deus in reprobum sensum.* Atque haec nimis parum nexus habent, ut non quaedam omissa, aut interpolationem subodorer.

III. *fol.* 58. absque titulo, sed praevia Epistola *Hugonis Victorini Soliloquium de Arrha Animae*, quod prostat T. *supracit.* p. 223. Initium Epistolae: *Dilecto fratri G. ceterisque seruis Christi Hametisiene* (Librarii fors Itali, quales *Corvinus* alebat, σφαλμα pro *Hamerislevene*, vel, ut habent Edita, *Hamerislevæ*, *Hamersleben* Canonia reg. ad *Halberstadium*, in qua religiosam vitam *Hugo* stirpe *Blankenburgicus* auspicatus erat) *degentibus Hugo* (Edita tantum literam H. habent) *qualiscumque uestre sanctitatis seruus* &c. *Soliloquium dilectionis quod de arra anime intitulatum est, misi* &c. Edita ἀλογον *nisi*, ut etiam, *spiritualium* et *muneris*, ubi rectius Codex *spirituali* et *unius*. Est vero etiam, ubi peccat. Extrema: *hoc totis uiribus* (Edita *præcordiis*) *concupisco.*

CCCCXXII.

U. 100 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. nunc 102. 4. nitide perscriptus, titulis miniatis, et quondam datus *ad librariam collegij ducalis testamento M. Pauli troppawer de vienna*, ut ait theca anterior, D. *Bernardi Sermones* complectitur, tantoque majoris momenti est, quanto magis ad Autoris aevum accedit. Sunt vero hi maximam partem *de Tempore* et *de Sanctis*, immixtis tamen etiam quibusdam *de Diversis*, et extant edit. *Maur.* T. III. unde singulos enumerare supervacaneum duxi, licet et Inscriptionibus, et lectione saepe ab Impressis varient. Quae nihilominus observanda censui, haec sunt: *Fol.* 9. Sermo *in uigilia Nativ.* inscribitur: *de sententia martirosij*; lege *Martyrologii*, ne quis fortasse *Martyrem Ossium* extundat. *Fol.* 10. p. 2. comparet: *De trina unione in tribus dei operibus et incarnatione Sermo bern. abbatis.* Τὸ *incarnatione* extritum est, et Sermo incipit: *Magna opera domini ait propheta. Magna quidem omnia eius opera fratres. siquidem et ipse magnus est, sed ad nos maxime spectant que in eis maxima esse uidentur. Hinc est quod psallit idem propheta dicens. Magnificauit dominus facere nobiscum. Denique quam magnifice nobiscum agat, specialiter tria quedam ejus opera clamant: prime creacionis, presentis redempcionis, future glorificacionis* &c. Haec itaque beneficia tribus *pagg.* expenduntur, et concluditur: *Merito denique caritatem et humilitatem sequitur glorificacio. quia sine caritate nichil prodesse potest.* Sermonem hunc *Bernardinis* circumdatum in *Bernardo* non reperi; sapit tamen *Bernardum*, et ejus cogitata de *Satis farinae fide Mariae fer-*

men-